



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **DAPANGOËNSIS** \* APOSTOLICA PRAEFECTURA  
MENDIENSIS AD GRADUM ET DIGNITATEM VICARIATUS APOSTOLICI EVEHITUR, IISDEM ET NOMINE ET  
FINIBUS SERVATIS. Quod universo hominum generi singulae praestant familiae, idem quodammodo  
Ecclesiae praestant dioeceses, e quibus tamquam christianaे vitae fontibus caelestis gratiae dona  
in homines diminant. Laeto igitur animo ea accepimus quae Sacrum Consilium Christiano Nomi  
Propagando faciendum censuit, post auditum scilicet venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam  
Maury, Archiepiscopum titulo Laodicensem in Phrygia et Apostolicum in Africa Occidentali  
Delegatum, ut apostolica praefectura Dapangoënsis in dioecesum ordinem redigeretur; quod  
profecto ad christianaे vitae incrementa in dilectissima Nobis Republica Togo cognominata haud  
parum prodesse confidimus. Summa igitur et apostolica Nostra potestate sequentia decernimus.  
Apostolicam praefecturam *Dapangoënsem* ad gradum dioecesis tollimus, eodem nomine. Condita  
Sedes eiusque sacer Praesul metropolitanae Ecclesiae Lomensi eiusque Antistiti erunt obnoxii  
tamquam suffraganei; caput dioecesis urbs Dapango cognominata erit, in qua Episcopus  
cathedram figet sui magisterii, in templo videlicet Sancto Iosepho Opifici dicato, quod ad  
dignitatem aedis episcopalnis attollimus, cum iuribus et honoribus debitIs. Dilectos autem filios  
Ordinis Fratrum Minorum, quibus Dapangoënsem Ecclesiam concredimus, amanter hortamur ut  
caritate et animorum quaerendorum studio quo nitent nulli labori parcant ut ibi locorum «sermo Dei  
currat et clarificetur» (*2 Thess. 3, 1*). Volumus demum ut, ob locorum temporumque condiciones  
quoadusque Canonicorum collegium condi non possit, Consultores dioecesani nominentur, qui  
Episcopo consilio et ope assint. Quod autem ad regimen dioecesis administrationemque attinet,  
cetera eiusmodi, leges iuris canonici serventur, eaeque normae quas Sacra Congregatio Fidei  
Propagandae, cui Dapangoënsis Ecclesia perget esse subiecta, dederit. Ceterum has Litteras  
venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury, quem diximus, ad effectum adducet, sive per se ipse  
sive per alium quem existimaverit, factis ad rem necessariis facultatibus. Re vero acta, idem  
documenta exarari faciet, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Fidei  
Propagandae cito mittet. Quod si alias eo tempo re eidem Apostolicae Delegationi praesit, hic  
mandata Nostra faciet. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore  
volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque  
igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria  
praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec

voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.*

IACOBUS A. Card. COPELLO  
*S. R. E. Cancellarius*

GREGORIUS Card. AGAGIANIAN  
*S. Congr. de Prop. fide Praefectus*

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Ioannes Calleri, *Proton. Apost.*

Hamletus Tondini, *Proton.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 4, pp. 270-271 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana